

Et iam finis erat, cum Iuppiter aethere summo  
despiciens mare velivolum terrasque iacentis  
litoraque et latos populos, sic vertice caeli 225  
constitit, et Libyae defixit lumina regnis.  
Atque illum talis iactantem pectore curas  
tristior et lacrimis oculos suffusa nitentis  
adloquitur Venus: 'O qui res hominumque deumque  
aeternis regis imperiis, et fulmine terres, 230  
quid meus Aeneas in te committere tantum,  
quid Troes potuere, quibus, tot funera passis,  
cunctus ob Italiam terrarum clauditur orbis?  
Certe hinc Romanos olim, volventibus annis,  
hinc fore ductores, revocato a sanguine Teucri, 235  
qui mare, qui terras omni dictione tenerent,  
pollicitus, quae te, genitor, sententia vertit?  
Hoc equidem occasum Troiae tristisque ruinas  
solabar, fatis contraria fata rependens;  
nunc eadem fortuna viros tot casibus actos 240  
insequitur. Quem das finem, rex magne, laborum?  
Antenor potuit, mediis elapsus Achivis,  
Illyricos penetrare sinus, atque intima tutus  
regna Liburnorum, et fontem superare Timavi,  
unde per ora novem vasto cum murmure montis 245  
it mare proruptum et pelago premit arva sonanti.  
Hic tamen ille urbem Patavi sedesque locavit  
Teucrorum, et genti nomen dedit, armaque fixit  
Troia; nunc placida compostus pace quiescit:  
nos, tua progenies, caeli quibus adnus arcem, 250  
navibus (infandum!) amissis, unius ob iram  
prodimur atque Italos longe disiungimur oris.  
Hic pietatis honos? Sic nos in sceptrta reponis?'

Olli subridens hominum sator atque deorum,  
voltu, quo caelum tempestatesque serenat, 255  
oscula libavit natae, dehinc talia fatur:  
'Parce metu, Cytherea: manent immota tuorum  
fata tibi; cernes urbem et promissa Lavini

moenia, sublimemque feres ad sidera caeli  
magnanimum Aenean; neque me sententia vertit. 260  
Hic tibi (fabor enim, quando haec te cura remordet,  
longius et volvens fatorum arcana movebo)  
bellum ingens geret Italia, populosque feroce  
contundet, moresque viris et moenia ponet,  
tertia dum Latio regnante viderit aestas, 265  
ternaque transierint Rutulis hiberna subactis.  
At puer Ascanius, cui nunc cognomen Iulo  
additur, — Ilus erat, dum res stetit Ilia regno, —  
triginta magnos volvendis mensibus orbis  
imperio explebit, regnumque ab sede Lavini 270  
transferet, et longam multa vi muniet Albam.  
Hic iam ter centum totos regnabitur annos  
gente sub Hectorea, donec regina sacerdos,  
Marte gravis, geminam partu dabit Ilia prolem.  
Inde lupae fulvo nutricis tegmine laetus 275  
Romulus excipiet gentem, et Mavortia condet  
moenia, Romanosque suo de nomine dicet.  
His ego nec metas rerum nec tempora pono;  
imperium sine fine dedi. Quin aspera Iuno,  
quae mare nunc terrasque metu caelumque fatigat, 280  
consilia in melius referet, mecumque fovebit  
Romanos rerum dominos gentemque togatam:  
sic placitum. Veniet lustris labentibus aetas,  
cum domus Assaraci Phthiam clarasque Mycenae  
servitio premet, ac victis dominabitur Argis. 285  
Nascetur pulchra Troianus origine Caesar,  
imperium oceano, famam qui terminet astris, —  
Iulius, a magno demissum nomen Iulo.  
Hunc tu olim caelo, spoliis Orientis onustum,  
accipies secura; vocabitur hic quoque votis. 290  
Aspera tum positis mitescent saecula bellis;  
cana Fides, et Vesta, Remo cum fratre Quirinus,  
iura dabunt; dirae ferro et compagibus artis  
claudentur Belli portae; Furor impius intus,  
saeva sedens super arma, et centum vincitus aenis 295  
post tergum nodis, fremet horridus ore cruento.'